



51

1646, 2

28

POSITIONES

MISCELLANÆ

EX UNIVERSA PHILOSOPHIA,

*Quas,*

Auspiciis DEI T. O. M.

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Excellentissimi, Clarissimi*

D. N.

M. ALBERTI LINEMANNI

in florentissima Academia Bregelana Ma-

thematum Professorisp. celeberrimi

*Publicæ Eruditorum disquisitioni*

*subjicit*

JACOBVS CORVINVS

Hornburgo-Halberstadensis

Saxo.

Habebitur in Acroaterio Majori

ad diem 9. Martij st. n.

Regiomonti, Typis REUSNERIANIS

ANNO M. DC. XLVI.

73



V I R O

*Multum Reverendo, Clarissimo, & Doctissimo*  
DN. ANDREÆ CORVINO Sen.  
Ecclesiæ Hornburgensis Pastori primario optimeq;  
*merito, Patri suo filiali amore & honore num-*  
*quam non devenerando,*

U T E T

*Reverendo & Eruditissimo Viro*

DN. BARTHOLDO CVPPIO  
ejusdem Ecclesiæ Concionatori vigilantissimo,  
Fautori & Promotori suo plurimum honorando,

V I R I S

*Amplissimis, Consultissimis, multaq; eruditione &*  
*auctoritate instructissimis*

DN. CONSVLIBVS & CAMERA-  
RIIS Reip. Hornburgensis dignissimis, Mecæna-  
tibus ac Patronis suis omni observantiæ cultu  
prosequendis,

NEC NON

*Speculatissimis & Integerrimis Viris*

DN. JOANNI Schmeißen Gemmario  
Regiomonti jam commoranti celeberrimo.

DN. FRIDERICO Berends Reip.

Cneiphov. quæ Regiomonti est, Civi ac  
Mercatori florentissimo,

Fautoribus & Amicis suis omni officiorum  
genere colendis;

*Hasce Positiones Philosophicas in Honoris &*  
*amoris tempore offert & consecrat.*

Aut, & Resp.

KÖN. PR. FR.  
UNIVERS.  
ZV HALLE



Σὺν Οἰσῷ

## POSITIO I.

**P**hilosophiam definio cum Aristotele habitum sapientia & prudentia constantem, *lib. 6. Nicom. Eth. c. 7. & 8.* Aut cum Damasceno & Ammonio; Cognitionem rerum ut sunt, *10. Met. c. 3.* Aut, uti eam Hierocles Pythagoricus in Commentariis suis describit; Vitæ humanæ purgationem atq; perfectionem, cujus finis est Beatitudo hominis naturalis.

### Logicæ.

II. Logicam non partem, sed Philosophiæ instrumentum cum Peripatheticis & Damasceno contra Academicos dico.

III. Si totum subjecti seu prædicati est negativum seu infinitum, ex Minore negativa aliquid sequitur in prima figura; sin minus, nihil sequitur.

IV. Ex Majori necessaria & Minori absoluta colligi conclusionem necessariam cum Aristotele *ex c. 9. lib. 1. prior. contra Eudemum & Theophyl. assero.*

V. Quæ in Analyticis traduntur, *verissima esse debent; unde etiam eorum veritas ex iis quæ opinionem gignunt, non constat.*

A 2

VI. Non

VI. *Non omnia, in analytico quæ continentur opere, ex inductione vera esse cognosci possunt; quedam verò in eodem per nullum medium sola inductione cognoscuntur.*

VII. *Analytica ad suorum principiorum cognitionem prærequirunt experientiam ex Mathematicis scientiis, sine quibus perfectè intelligi minimè possunt.*

VIII. *Duæ sunt demonstrationis quasi species, Διότι καὶ ὅτι; quæ media est sententiâ inter Avic. & Averr. hinc ex parte ὑπερβολῆς, ille verò ἐπιείφους stantes.*

## Metaphysicæ.

IX. *Qui dari Metaphysicam negant, aut doctrinam ejus per caput pedesque ad Logicam præcipitandam cum Ramo in præm. schol. metaph. lib. 1. c. 1. & 3. & lib. 5. c. 2. censent, aut ἀρεῶσις τῆς διανοίας laborant, aut cum ratione insaniunt.*

X. *Metaphysica respectu naturæ quidem prior est ipsa Physica; respectu tamen facilioris perceptionis eadem posterior.*

XI. *DEus à subjecto Metaphysices excludi nequit, quocunq; etiam modo consideretur.*

XII. *Ens æquivocè de substantia & accidente, ut & de DEO & creaturis enunciatur, juxta Arist. lib. 7. Met. c. 2. lib. 5. c. 7. ubi dicitur, Ens esse πᾶσιχῶς λεγόμενον. Porphyr. in Isag. c. 3. §. 10. Hinc unus quoq; ejus conceptus non est, sed diversi.*

XIII. *Primum naturâ scibile est inter reliqua Entis genera Substantia lib. 7. met. c. 1. & inter substantias prima,*

*prima, nempe DEUS. Sed quoad nos non unum tantum est primum cognitum, sed satis multa; alia namque aliis, non eadem omnibus sunt notiora lib. 6. Top. c. 4. & 6.*

XIV. Prima Philosophiæ principia non nobiscum nascuntur, sed fiunt in nobis per inductionem *lib. 2. post. c. ult.*

XV. Non intellectus humanus & sensus sunt rerum mensura, sed res potius mensura intellectus & sensus sunt *lib. 5. met. c. 6.*

XVI. *Unum uni tantum est contrarium.* Verum enim verò non statim id, vulgò quod dicitur, inde sequitur: Ergo, *Unum uni tantum quoque opponitur;* nam e. gr. quoddam, quod privativè opponitur, pluribus, quàm uni opponitur.

XVII. Deus simpliciter simplex est, nec compositio cadit in DEUM, nisi tantum rationes compositæ juxta DEUM.

## Physicæ.

XIIX. Corpus naturale seu mobile est subiectum Physicæ *Arist. lib. 2. Phys. c. 1. & 1. de Cælo c. 1. item 3. de cælo c. 1.*

XIX. Cælum est corpus simplex, materia & forma constans, rotundum, incorruptibile. *lib. 1. de Cælo. item lib. 12. met. c. 2.*

XX. Cælum distinctæ à sublunaribus est naturæ. *Conimbr. in lib. 1. de Cælo c. 2. q. 5. art. 1. & 2. Zabarell. de Constit. Phys. c. 10. Perer. lib. 2. c. 2.*

A 3

XXI. Da.

XXI. Datur materia prima, quæ lib. 2. Phys. c. 3.  
text. 28. definitur ἐξ ὧν γίνεται τὰ ἐν τῷ αἰθέρι. Zab. lib. 1.  
de prim. rerum materia c. 3.

XXII. Superficies concava supremi coeli ratione  
totius non est in loco, sed est ipsa potius omnium locus;  
ratione partium tamen est in loco. Arist. lib. 4. Phys. t. 45.  
D. Thomas in Com. sup. hunc lib. Conimb. l. 4. Phys. c. 5. q. 2. art. 2.

XXIII. Vacuum in natura non datur, nec cor-  
pus in vacuo, uti Conimbricenses putant, potest moveri.  
Arist. loc. cit. t. 64, 65. & seqq.

XXIV. Cometa per se est causa siccitatis; per ac-  
cidens verò bellorum.

XXV. Intellectum agentem & patientem neq;  
realiter, neque essentialiter, sed sola ratione differre exi-  
stimo.

### Mathematicæ.

XXVI. Mathematicas propriè esse scientias falso  
negat Perer. lib. 1. c. 12.

XXVII. Mathematicæ scientiæ sunt omnium  
primæ.

XXVIII. Hinc doceri & addisci possunt ante de  
syllogismis doctrinam.

XXIX. Mathematicæ disciplinæ sunt maximè  
scientificæ; interim tamen non omnibus utuntur causis  
lib. 3. met. c. 2.

### Arithmeticae.

XXX Probationem Additionis commodius institui  
non posse puto, nisi per Subtractionem, & Subtractio-  
nis per Additionem; abjectio enim novenarij non raro  
fallit.

XXXI.



XXXI. Numerum arenularum omnium in tota tellure quæ reperiuntur, & iniri, & si universus mundus granulis arenularum esset oppletus illo etiam multo majorem dari posse, cum Archimede affirmo.

### Geometricæ.

XXXII. Quadratura circuli accuratissime peragi non potest.

XXXIII. Angulum *regeleindii* sive contactus quantitatem esse cum Clavio contra Peletarium dico.

XXXIV. Figuræ Isoperimetrae non semper sunt inter se æquales, ut vulgò quidem existimatur.

### Opticæ.

XXXV. Lux secunda idola ad nos defert.

XXXVI. Visio fit non per emissionem radiorum sed per receptionem imaginum.

### Astronomicæ.

XXXVII. Scintillatio syderum est ex vi luminis non sine quodam motu sese spargentis & sub motu isto ad visum nostrum delati, sparsioque illa luminis cum motu quodam est propria natura ejusmodi syderum, uti Scaliger opinatur; quamvis, uti Joan Baptista de Porta in libello suo optico lib. i. propos. 21. putat, à vaporibus & ventis multum adjuvetur.

XXXVIII. Eclipsis lunæ non fit ex umbra terræ, nisi reflexiones velimus negare.

### Geographica.

XXXIX. Geographiæ contemplatio non est Physici, uti sibi Goclenius persuadet in Phys. lib. 6.

Ethicæ.

## Ethicæ.

XXXX. Civilis scientia est quasi *imago* scientiæ.

XXXI. Civilis scientia actionum humanarum summum bonum considerat *Arist. lib. 1. Nicom. c. 1.*

XL. Scientia civilis & prudentia sunt idem habitus; differunt tamen *essentia lib. 6. c. 7. Nicom.*

XLIII. Actiones ex metu majoris alicujus mali susceptæ, *invitæ quidem planè non sunt; interim tamen spontaneis sunt similiores lib. 3. c. 1. Nicom.*

XLIV. Liberaliores sunt, qui suas divitias non acquisiverunt, sed aut à Parentibus aut cognatis acceperunt. *lib. 4. c. 2.*

XLV. Divites non virtuosi magnanimi non sunt; hinc *injuria* quoq: alios contemnunt *ibidem c. 8.*

XLXI. Ethicus *necessariò* de proportione agit. *lib. 5. Ethic. c. 6. Arist.*

XLVII. Jus talionis quatenus in proportione consistit, civilem societatem conservat. *idem ibidem c. 8.*

XLIIIX. Definitio justitiæ apud Aristotelem *lib. 5. Eth. c. 9.* coincidit cum *Jctorum* definitione *lib. 1. Inst. tit. 1.*

XLIX. Sapientia *absolutè* est præstantior, prudentia *magis* necessaria; *illa* honorabilior, *hæc* laudabilior *lib. 1. Nicom. c. 12. & lib. 6. c. 13.*

L. Amicitia honesta, cujus principium est benevolentia *lib. 9. c. 4. Nic.* perfecta quidem est, sed *rarò* invenitur. *ibidem lib. 8. c. 4. & 5.*

LI. Sola virorum bonorū amicitia calumniis vacat

LII. Amor sui *non simpliciter* est vitiosus, sed quatenus in improbo, non verò in viro bono est *lib. 9. c. 8. Nic.*

LIII. Vita contemplativa est perfectissima beatitudo. *ibid. lib. 10. c. 7.*

LIV. Contemplativa beatitudo *prior* est; activa *posterior. c. 8.*  
Politica,

## Politicae.

LV. Politiae essentia sine essentia civitatis cognosci non potest. *lib. 3. polit. Arist. c. 1.*

LVI. Possibile est esse civem bonum, qui viri boni virtutem non sit consecutus.

LVII. Nulli hominum summa committenda est potestas, sed Legibus, quibus homo juramento adstrictus jungatur. *Arist. lib. 5. polit. c. 10. & 15.*

LIIX. Magnus Dux Muscovia, Rex Tartaria &c. regno videntur uti barbarico & per consequens tyrannico quodammodo, quod tamen imperium, quia in volentes seu subditos fit, *injustum non est*; hinc nec eorum custodia (ihre Leibgwardia) est tyrannica.

LIX. In magnis civitatibus possibile est & decet unum magistratum ad unum aliquod opus esse destinatum; in parvis contra necessario in paucas contrahi debet magistratus.

LX. Omnis dissimilitudo maximum praebet initium & originem mutationis Reip. *Hinc quoque exteri in exilium contra Magistratum vocari non debent, ex gr. Turca &c.*

LXI. Electio Imperatorum seu Regum plus conducit reip. quam eorundem successio.

LXII. Imperij decus ad exterarum nationes transferri non debet. Hinc quoque Electores, ne id faciant, legibus & juramento impediuntur, *uti ait ipse Mogunt. Elect. in elect. Caroli V. apud Sleidanum pag. (mibi) 19.*

LXIII. Juvenes ante annum aetatis 25. ad imperium admitti non debent jure civili l. ad Remp. 8. ff. de muneribus & honoribus, quod optima ratione niti ait Schonb. *lib. 2. polit. c. 7. in princip. nisi si defectum aetatis prudentia suppleat.*

B

LXIV.

LXIV. Nec qui decrepita jam sunt atatis, vitæq; sua spā-  
tium maximam jam partem emensi; ut nec facile humili &  
obsuro nati qui sunt loco: nam uti rectè sonant versus Claudi-  
ani in Eutropium:

Asperius nihil est humili cum surgit in altum,  
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desævit in omnes,  
Ut se posse putet: nec bellua detrior ulla est,

## COROLLARIA.

- Q. 1. An unquam pleni lunium perfectum  
fuerit? N.
2. Utrum objectio ad tertiam proprietatem  
Relationis de scientia & scibili sit soluta? N.
3. An Unum, Verum, Bonum, sint Entia aut ac-  
cidentia? N.
4. Utrum funus ipse sit odor? N.
5. An definitio S. B. l. 1. Eth. Nic. c. 7. sit perfecta? A.
6. Utrum femina ad imperii clavum sit admit-  
tenda? N. sed cum conditione.



*Ad Ornatiss. Dn. Resp.*

**P**erge ter ternas vigilasse noctes,  
Atque ter ternas redamasse Musas;  
Pergito mores, quibus ex amussim  
Te virum præstas, coluisse semper:  
Sic, Patrem annosum venerate fili,  
Omnibus Doctis placuisse gaude ut  
Doctus Amicus  
ponebat

**M. Albertus Linemannus**  
Mathem. Profefs. Publ.

---

**L**emmata de variis rebus contexta tueri,  
Mentis erit prorsus nobilioris opus.  
Talia cum præstes, LINEMANNI viribus auctus,  
In quo robur adhuc Diva Mathesis habet;  
Sat, CORVINE, probas, quis sis & quantus haberi  
Possis, ut laurum promptus Apollo paret.  
Gratulor ansalubens! Sic, sic clarescere perge,  
Et tua perpetuò fama superstes erit!

Ita Eximio Dn. Respondenti, Amico & Populari  
suo faventissimo, applaudebat  
Carolus Schröder / Islebiensis.

---


*Ad Eximium Dominum Respondentem*  
*Philosophie Candidatum.*

**Q**ui se non sibi credit esse natum;  
Dulci sed patriæ suæ, memorq;  
Est semper fidei speiq; charæ  
Quam fecit domui, bonisq; cunctis,  
Is non desidiâ terit juventam,  
Nec prolem Semeles colit furentem  
Reginæve Paphi Gnidiq; natum;

In

In castris mage sed novem sororum  
Sudat nocte fideliter dieq;  
Ac constans tolerat graves labores.  
Dum, *Corvine boni propago Patris,*  
Hi venas sapido replent Falerno,  
Reginamq; juvat Cypri potentem  
Illos, vel reprobam sequi Vacunam,  
Tu solers sequeris Deas tenentes  
Montis Pierij sacrum cacumen,  
Et pulchrum sapientiae theatrum  
Nisu Dædaleo sagax peragras  
Ac clari cathedram premens *Lycei,*  
Quod cingunt vada *Bregela* tacentis  
Adversæ calido retundis auro  
Partis spicula, REGE LINEMANNO,  
*Cujus nomen & exteræ celebrant*  
Ob diæ studium *Mathesis* oræ.  
Cordis delitium mei, *Jacobe,*  
Sic perge ingenij movere bella,  
Ac discernere rite vera falsis,  
Pro tali *viridem* labore nec tet  
*Tymbræus* capiti tuo corollam,  
Et cano venerabili Parenti  
Aevò, ac emerito, simulq; *suavi*  
Matri mite levamen es futurus,  
Et fructus *Patriæ* feres salubres.

*Casparus Close Vernigeroden-*  
*sis Cheruscus.*



Königsberg. Diss., 1610/70

ULB Halle 3  
004 398 270



f  
Sb.

VD 17









B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

NES

ANEÆ

LOSOPHIA,

T.O.M.

DIO

*risfimi*

NEMANNI

BregelanaMa-

celeberrimi

*quisitioni*

VINVS

adensis

rio Majori

st. n.

ERIANIS

VI.

1646, 2

28

51